

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XVIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

tis alienatio viginti quatuor horarum spacio. Christophorus Acoſta addit nonnullas meretrices adeo hoc medicamentum temperare noſſe, ut ad certas, eaſque quot velint horas, mentem adimant. *Echion* inventa eſt à quodam Alcibio herba. Dormiens in area, iactus eſt à vipera. *Mathiol. in lib. 4. c. 25.* Excitatus ſuccum herbæ dentibus expreſſit, hauſitque in corpus, reliquum corpori impoſuit & convaluit. Viperinis genuit illud natura capillis, ut uſum oſtenderet. *Eryngio* una capella in os ſumpto, totum gregem ſiſtit, nec loco moveri priuſquam exemeris, poteſt. *Plutarch. in lib. quod maxime cum princip. diſp. ſi philoſ.* Tanta odoris in eo celeritas, ut ignes in motem in proxima quæque diſſundatur, inque illa vires exerceat ſuas. *Euphorbium*, ſi Aſtris credimus, ſpinoſa eſt planta. Ex ejus radice fructus exit cucumerum ſpecie oblongus adeo ut pedes binos interdum expleat. Vbi matura erit, ferro punctim aperitur. Exit lactis liquor lentus, quem in utrem lapſum conduñt. *Scalig. Exerc. 181. ſ. 2.* Alvum deſicit, ſed cum animi deſectu frigidoque ſudore. Duorum obulorum pondere porum, aquam intercutem extrahit, interimit, drachmarum pondere trium ſi hauſeris. Intra enim trium dierum ſpaciũ, inteſtina erodit & ventriculum. *Mathiol. in l. 3. cap. 80.*

CAPUT XVIII.

DE ELATERIO, ELLEBORO, Eupatorio, Emito & Fœniculo.

OMnium medicamentorum diuturniſſimum eſt *Elaterium*. ducentorum annorum quidam apud ſe ſervavit. Humiditas in cauſa eſſe dicitur. Quamvis enim præciſum in cinere ponatur humidum, tamen ad quinquageſimum annum lucernis admotum, lumen extinguit *Theophil. 9. c. 14.* *Ellebori* radicem diluto, hyeme media, accenſis maxime frigoriſus, plures quartana febr̄i liberati ſunt. Nunquam, inquit *Ma-*

l. 4. thio-

thiolum ad lib. 4. c. 126. quod meminerim, hoc Ellobori dilutum dedimus quartanariis nostris, quin ex unica assumptione vel saltem altera, Deo iuvante, fuerint ad sanitatem redacti. *Eupatorii* sicci suffitu venenata fugantur animalia. Cervi telo vulnerati, hac devorata sanantur. *Mathiolum ad loc. cir. c. 37.* Emitus arbor est in Trachimia, ad quam appropinquantes, & eam contingentes, serpentes intereunt. *Alian. l. 9. c. 27.* Vidit & *Strabo lib. 15.* ut hic addam, lauro persimilem, quam gustantes belluæ, abalienatæ quasi Herculeo morbo concidunt, spumante ore. In regno Tombut, quod est Æthiopiæ Occidentalis, agreste *Faniculum* ad eam provehitur magnitudinem, ut ex eo arcus fiant. *Scaliger. exercit. 166.* In Iberia caulium, dum florere, medium rustici demerunt & igni admovent. *Dalecamp. ad Plin. lib. 20. cap. ult.*

CAPUT XIX.

DE FERULA & FICU.

Ferula æstuosis nascitur locis. E prima ejus germinatione, corculum quoddam eximium pastores, ovi luteum induratum referens. Id sub cineribus assum, prius tamen charta madefacta obductum, mox pipere & sale conspersum, non modo gustui gratissimus cibus, sed ad Venerem valens. *Mathiolum ad lib. 3. c. 76.* Murænis illarum natura infestissima, tactæ siquidem ea emoriuntur. *Plin. l. 20. c. 33.* Imo & cæteris jumentis præsentaneo veneno: Asinis tantum gratissima in pabulo. In *Ficus* Indica maxime admiranda est vastitas. Comprehendit breviter ex Theophrasto *Scaliger.* Ficus, inquit, exilia poma habet. Ipsa se ferens vastis diffunditur ramis, quotum pondera adeo in terram incurvantur, ut annuo spacio infignantur, novamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbem quodam opere topiatio. Intra eam sepe afficiant pastores opacam pariter, & munitam vallo.

arbo-